



AD QVODLIBETARIAM
QVÆSTIO MEDICA;

MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVT.
IN SCHOLIS MEDICORVM,
die Iouis XVI. Decembris,

M. SIMONE PIETRE;

DOCTORE MEDICO,
MODERATORE.

An Medicamentorum incerta quantitas?

MEDICAMENTORVM natura no-
stram alterat, redacta priùs in actum à ca-
lore nobis insito; omnis verò posita in
quatuor elemētorū ad generātionem con-
currentium mixtione, quæ cum temperamento pror-
sus eadem est: ea mixtio propria cuiusque *idiosyncrasi* no-
minatur, ac licet nullā certā demonstratione defini-
ri possit, tamen artificiosā cōiecturā in ordines quatuor
ad medendi vsum valde necessarios distinguitur, res-
pectu corporis humani, quod in rerum natura me-

18
2
dium tenet, ad pondus & exquisitè temperatum, ve-
lut mensura rerum omnium.

PRO vario medicamentorum ordine varia me-
dicamentorum instituendæ doses, quæ æstiman-
tur numero, pondere, mensurâ, mole. Ad nume-
rum referri potest frequentia medicamenti gradum
& dosim compensans. Quæ longiùs abscedunt à no-
stra natura, parciora, & rariora esse debent, vt me-
tallica, chymica, & venenata omnia, specificis & pro-
priis alexiteriis destituta. Quæ ad nostram tempe-
riem, consistentiam, & substantiam propiùs accedunt,
vt plurima plantarum & animantium genera, libera-
liùs, & frequentiùs v surpanda, modò sint *curatissima* :
in quibus vilissimis & vulgò notissimis Medicinæ
dignitas magis elucet.

LEGITIMA gradus limitatio, & dosis vera
æstimatio indicatur ab affectus, qui contra na-
turam corpori insidet, magnitudine, & affecti cu-
isque corporis naturâ: extremis morbis extremè ex-
quisita remedia sunt optima: sed quibus simul, & se-
mel, aut sæpius, plura an pauciora particulatim adhi-
benda, vel exhibenda sint, considerandum: condo-
nandum etiam aliquid consuetudini, quæ velut al-
tera natura est. Ab ætate, tempore, & regione, nulla
medicamentorum qualitas, nec vlla quantitas indi-
catur.

SINGULARIS natura corporum affectorum
 Humano ingenio comprehendere nequit, nec cir-
 cumscribi potest accuratè morbi magnitudo, quæ à
 malignitate nihil quidquam differt, nec aliud est,
 quàm eius, qui à peculiari naturâ sit recessus, quanti-
 tas. Huius fidelissimus & æquissimus æstimator ha-
 bebatur, qui coniector erit optimus ex internis, ex-
 ternisque causis, ac symptomatis, quæ mox apparent,
 aut superueniunt, & cuiusque loci laborantis con-
 ditione.

EX his tam incertis nulla certa demòstratio quan-
 titatis medicamentorum esse potest, sed tantùm
 coniectura opem experientiæ flagitans: quæ vt secu-
 ra sit, nec ægro molesta, rationis ductu à leuioribus
 vtilibusque medicamentis ad vehementiora, sed in-
 noxia progredietur, quæ morbum quidem expellant,
 naturam partis, vel totius corporis tueantur, & robo-
 rent. Vnde lectissimorum medicamentorum prepa-
 ratio necessaria, & compositio, solennis in noltris
 opiatis, electuariis, pilulis, cæterisque confectio-
 nibus, quarum non certior quidem dosis, sed securior,
 quàm simplicium, vel extractorum.

Ergo Medicamentorum incerta quantitas.

Ponebat FRANCISCUS ELLAIN Parisinus;
 Anno Domini 1599.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI:

- | | | |
|---------------------|---------------------------------------|-----------------------|
| M. Ioannes Dorenon. | M. Antonius Decappe: Med. Regius. | M. Claudus Iaucler. |
| M. Petrus Piarz. | M. Simon Piestre Prof. Reg. & Profes. | M. Nicolaus Marchant. |
| M. Nicolaus Iabot. | M. Ioan. Duret Med. & Profes. Reg. | M. Franciscus Dupont. |

*c'est la name these que elle qui est
 inscrie sous le inscrio N. 297 du conseil
 des Chanciers de la Faculté.*